

rulo fuisse in illo desideratam, quemadmodum desiderari in nobis; nec eadem ratione potuisse illi denegari, qua nobis plerumque denegatur. Sic enim sufficienter ostenditur, lapsum Adæ in exemplum modo trahi non posse; eumque perperam a Monachis obrudi, ut inutilem in præsentis iustorum a iustitia excidentium correptionem efficerent. Cæterum, an aliunde gratia efficax, status innocentia propria, & Adamo ad perseverandum necessaria, occultis de causis ad eum statum attentibus, negata illi fuerit; atque adeo & ipse corripere potuerit, quod in accepta iustitia minime perennaret; Augustinus hac occasione non expendit; quia eximendis Monachorum Adremeritiorum scrupulis necesse non erat; qui certe in eodem cum Adamo statum constituti non erant. Sed hoc aliis in libris ex divinis Scripturis expendit, prout ejus congruit instituto. Gratiamque efficacem Adamo, Angelisque cadentibus ad perseverandum necessariam, occultis divinæ sapientia rationibus negatam ostendit: Tum quod beneficium prorsus indebitum sit, *cujus negatione superbiam humane præsumptionis extinguit*; Tum quod divinæ providentiæ leges postulent, ut Deus suam quandoque creaturam suæ ipsius defectibilitati committat; *ut de malis bene facere possit*. Tum demum, ut ipsa gratia negatione, quæ subtrahitur aliquibus, majorem erga alios, quibus eam largiri lubet, dilectionem ostendat. Quam ultimam rationem insinuat Apostolus in *Epist. ad Romanos cap. 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitiis glorie suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam*.

IV. Cæterum quam familiare fuerit Augustino, propositis sibi questionibus satisfacere, non quantum paterent illæ per se, sed quantum solvendis interrogantibus dubiis satis esset; reliquis longe missis, quæ ad inscrutabilia Dei judicia pertinerent, quæque minus tunc necessaria viderentur; multis admodum patet exemplis. Quorum potissimum extat Opusculo de sex questionibus Paganorum, *Epist. 102. quæst. 2. ubi Ethnicis importune quærentibus, cur Christus post tam longa tempora venerit, compendio reposuit: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri; altero difficultatis capite, illoque gravius insoluto relicto: utrum nempe prædicato sibi Christo, a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi? quia nihil ad propositæ questionis solutionem pertinebat; sed ad altitudinem sapientia, & scientia Dei, de qua non tunc, sed alias opportunius disputandum putavit: quemadmodum ille ipse fatetur lib. de prædest. Sancti. cap. 9.*

Eodem quoque modo respondere contigit Augustino in *libris de Gen. ad lit. dum ab illo quærent Manichæi, an possent omnes homines divina implere præcepta? Reposuit scilicet ille, id omnes homines posse, si velint*: ac nihil ultra præterea. Unde autem haberent homines, quod ea implere mandata, & vellet, & possent, ne verbo quidem aperiendum existimavit. Quia tunc præsens quæstio postulabat, ut quæ libertati statuendæ favere poterant, Manichæis humanæ libertatis hostibus explicarentur; quæ vero divinam gratiam poterant commendare, Pelagianis illius hostibus nondum obortis, in aliud tempus commodius differrentur. Quod ille lib. 1. *Retract. cap. 10. factus est. Non existiment novi Hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum; Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint; sed preparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam præsentis necessarium non erat questionem.*

Non abfimiliter, sed pari prorsus cautela usus, questionem alteram ventilat lib. 2. *de pecc. meritis, & remiss. cap. 17. Cum non sit homo in hac vita sine peccato, cum gratia adjuvante divina id possit? Cui quidem respondet illico, non esse homines sine peccato, quia homines volunt. Ac tum addit: si ex me queritur, quare nolunt, imus in longum. Subjungit nihilofecius, etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. . . . Ut autem innovescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Cæterum ab ea diligentiori inquisitione prorsus abstinere Augustinus, cur nempe non omnibus assulget gratia, quæ & quod latebat innovescit, & suave fit quod non delectabat: quia ad inscrutabilia Dei judicia pertinebat; qui, prout libet, alios quidem homines immixta suavitate iustitiam docet, alios perinde non docet. Quæ certe prima omnium ratio est, cur non sit in hac vita omnis homo sine peccato, tamen gratia adjuvante divina id possit.*

Quidni ergo eandem respondendi legem tenuerit Augustinus, ut ad Monachorum interrogata satisfaceret? ea scilicet aperiendo, quæ ad illorum scrupulos eximendos satis essent; iis longe relictis, quæ ad id necessaria non essent; & ad inscrutabilia Dei judicia pertinebant.

V. Nec mirum cuiquam videri debet, si forte Schola Thomistica, suo illo systemate constituto, nullam aliam denegatæ Adamo prædeterminantis gratia rationem possit asserere, quæ difficultatem omnem amoliatur, scrupuloseque eximat universos: sed ad inscrutabilia Dei judicia tandem aliquando confugiat. Quandoquidem, & in statu naturæ lapsæ, ubi minor est, ea in parte divinorum iudiciorum profunditas; potestque primo statim intuitu aliquantula denegatæ primæ gratia ratio proferri, corruptæ scilicet originis vitium: ubi tamen ad extremum ventum est, quæriturque ab ipsis Augustinianis, quorsum ex tam multis eodem originis vitio corruptis, uni potius, quam alteri prima gratia denegetur; tunc sane, velint nolint, ad inscrutabilia Dei judicia confugiunt; nec minus illi quam nostri exclamant cum Apostolo, *ad Rom. 11. O altitudo divinarum sapientia, & scientia Dei!* Quid itaque grave ferunt, ad eam nos sacram ancoram ultimo tandem confugere, ad quam ipsi confugere compelluntur; imo & ad quam, in hoc ipso referendo mysterio, confugere compulsus est Augustinus?

Ad hanc stare ancoram, navimque firmare, Thomistis nostris fas bene tutum arbitror: modo tamen primæ gratia denegato, quovis tandem occulto Dei iudicio fieri dicatur, peccati causa negetur esse; cujus potius prima, & unica ratio fuit malitia voluntatis Adami. Nec ad alias subtiliores speculationes confugere opus habent, ut negatæ Adamo primæ gratia rationem alteram proferant, quæ divinam iustitiam novo titulo ponat in tuto. Non inquam reponere opus habent, quod illorum plerique reponunt: Primam gratiam ad primum peccatum devitandum necessariam, ob ipsiusmet primi peccati demeritum, fuisse Protoparentibus, ac etiam Angelis cadentibus denegatam: propterea quod nihil veter, ob impedimentum præsens, etiam in primo peccato auxilium efficax denegari: quo casu, ajunt illi, privatio gratia in genere causæ materialis culpam dicitur antecedere, tamen in genere causæ formalis & efficientis, peccatum ipsum gratia privationem antecedit. Quæ ego mente dum recole, non illud tantum Apostoli in clamo, *O altitudo divinarum sapientia, & scientia Dei!* sed illud Regii

Vatis

Vatis agnosco *Psal. 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt*. Illudque Theologis nostris sacrum illud divinæ iustitia arcanum retegere adnitentibus, Augustini consilium do: *si vos nescitis cogitationes Dei, quoniam iusta sunt; ille tamen scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt*. Relinquit ergo cogitationes hominum, quæ vana sunt, ut comprehendatis cogitationes Dei, quæ sapientes, & iuste sunt.

Has itaque cogitationes hominum, in hacce præsertim concertatione, arbitrator relinquendas: non quia falsas, & a recta ratione devias; sed uti vanas nunc, atque superfluas. Primo, pro conditione Theologorum, contra quas ista suscepta est disputatio; qui non ex Scholæ subtilitatibus satisfacere sibi volunt, sed ex Augustini mente, atque sententia, quam hic unam inquirunt. Cum enim eam mysterii hujusce referandi viam nusquam librorum suorum aperuerit SS. Doctor, eam nec ingredi volunt, quotquot illo Doctore, atque Magistro gloriantur. Secundo, quia qualiscunque illa sit subtilium sane Theologorum speculatio, non est tamen omnino fidelibus necessaria, ut Divinam iustitiam in tuto positam noveant, uti prima seu Angelis, seu hominibus gratia dicitur denegata. Cum vel ad hoc satis illis sit, si Divinam gratiam, qualiscunque tandem fuerit, seu primam, seu secundam, & quibuscunque seu Angelis, seu hominibus aut negetur, aut conferatur, beneficium indebitum esse noverint, ex solo Dei omnipotentis nutu pendens, atque ex una ejus benevolentia, & misericordia profectum. Quod & illi ipsi Theologi, subtiles aliunde disputatores, profiteantur.

Quare subtilis illa quorundam Theologorum speculatione præterminata, aliisque usibus, si res ita tulerit, reservata, satendum bona fide, nec pudere Theologos debet, primæ gratia efficacia Adamo ad bene agendum necessariæ negationem, nulla humana ratione investigari oportere; causamque illius nullam humano studio reddi posse, sed ad inscrutabilia Dei judicia esse referendam, occulta illa quidem, sed tamen iusta. Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget; O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus; Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Augustinus lib. de dono persever. cap. 12. Quare & ego, ubi ad eam mentem susceptam disputationem perduxit, compresso calamo, venerandæ scientia servo.

CAPUT XXVI.

Novus quorundam scrupulus eximitur.

I. **F**inem hoc loco dicendi feceram, dum primam Opellæ hujus Editionem publici juris feci. Calamum modo resumere cogor, ut enatum nonnullis scrupulum eximam. Quibusdam etenim eruditus Viris, mihi quæ in amicitia iunctis visum est, Thomistæ aliquos recentiores, inculcatam a me sæpius distinctionem, qua omnes ferme partis adversæ conatus elasi, minime probaturos: distinctionem scilicet illam gratiarum per se efficaciam, pro variorum humanæ naturæ itatum differentia; quod illa sanam, & integram voluntatem duntaxat applicent operi, præmoverent, ac prædeterminarent; istæ lætam nunc, sauciataque voluntatem operi applicando, præmovo, ac prædeterminando, vires insuper novas eidem conferant, novumque robur adjiciant. Ab ea enim sententia abhorrente videntur Thomistæ aliqui recentiores, qui Alvaræio duce contendunt, potentiam agendi omnino plenam, completam,

expeditam, actuque proximam, solis gratis sufficientibus dari, non itidem gratis efficacibus: gratiaque propterea efficacia, ad actum, ut Schola loquitur, secundum pertinere duntaxat, non item ad primum. Quomodo enim, inquit eruditus Viri, humana voluntas plenam, expeditam, completam, actuque proximam agendi potestatem habere dici potest, beneficio gratiarum sufficientium; si novas insuper vires, novumque robur, ut re ipsa operetur, & agat, exceptura est, beneficio gratia se ipsa efficacis?

II. Hunc ego scrupulum Eruditus Viris ut eximam, quinque occurrunt, quæ reponere juvat.

Primo, eam me distinctionem, uti certum, indubitatumque principium, una cum Lemosio, summo illo Divinæ gratia defensorum possessore: novaque vires, roburque novum, per gratias efficaces, lætæ, ac vulneratæ naturæ conferri, cum summo viro dixisse; quod ita ex sacris Conciliis, Summis Pontificibus, præficus Ecclesiæ Patribus, ac potissimum ex Augustino aperitissime colligatur: quorum oracula aut recitavi de integro, aut certe subindicavi, *Capite 22. num. 3.*

Secundo, Theologos Augustinianos, quibuscumque ista mihi sit est, hoc idem doctrinæ suæ principium ponere: summoque consensu contendere, gratiam se ipsa efficacem status naturæ lapsæ, non modo voluntatem applicare operi; sed & novas illis vires, robur novum, fortitudinem novam asserere. Quare ut in eos, ad hominem, quod ajunt, argumentari mihi liceret; & Augustinum, quem nobis objiciunt, ex illorum principii interpretari, & emollire fas esset; ea mihi via præ cæteris inunda fuit.

Tertio, hoc idem principium, ab ipsis etiam Molinianis (quibus in hacce movenda questione Augustiniani federantur) tanquam Augustinianum, atque Thomisticum agnosci, atque probari. Quamquam enim gratiam se ipsa efficacem, ac prædeterminantem, in statu naturæ etiam lapsæ, nullam agnoscat; hanc tamen, si forte deur, novas voluntati vires largiri debere, profiterentur. Quocirca Franciscus Suarez parte 2. de Divinis Auxiliis lib. 5. cap. 10. n. 5. *Hoc auxilium, inquit, si datur, maxime datur, ut det vires voluntati. Nam apertissime Augustinus docet, per hoc auxilium dare Deum vires efficacissimas voluntati.*

Quarto, Thomistæ Alvaræio posteriores, qui potentiam agendi gratis mere sufficientibus datam, planam vocitant, expeditam, completam, ac etiam proximam, minus profecto cum antiquioribus convenire. Quamquam enim in id consentiant omnes, quod Catholica fides ponit: homines scilicet universos, ac in illis iustos maxime, auxiliis sufficientibus adjuvos, sed efficacibus interdum destitutos, veram semper, propriam, internamque bene agendi, implendorumque mandatorum potestatem habere, ac retinere; eam tamen expeditam, completam, & proximam minime vocitant; sed talem tantum potestatem esse dixerunt, quæ per gratiam efficacem subinde conferretur. Thomas Bravardus lib. de Causa Dei cap. 5. Capreolus in 2. sent. dist. 28. qu. 2. art. 3. Card. Cajetanus in cap. 10. Joannis ad vers. 39. Petrus Soto *Epist. 2. ad Ruardum Tapperum*, Gulielmus Estius in 2. sent. dist. 26. §. 41. Franciscus Sylvius 1. 2. qu. 109. art. 4. omnium vero disertissime, planissimeque Franciscus Zamel 1. 2. disp. 4. sect. 1. assert. 2. ubi sic habet: *Sine auxilio efficaci voluntas non est constituta in potentia omnino immediata, & proxima agendi. . . . Sufficientis auxilium præstat quidem vim potentia, non quidem omnino proximam, cum ultima actualitate; sed minus proximam, & quasi mediatam, vel minus immediatam, seu inadæquatam.* Et disp. 15. lect. 1. Conclusionem 4.

Au-

Auxilium sufficiens dat homini ut possit agere, tribuitque ei vim ad volendum; sed non complete omnino; quia est necessaria gratia efficax intrinseca, & determinans voluntatem per modum actus primi, & tunc homo est complete potens.

Quin etiam illi ipsi recentiores Thomistae, quibus Alvarezii loquendi formulas amulari libuit, alios de Schola Thomistica doctissimos viros, longe aliter loqui, aliterque sentire, profitentur. Quidam viri docti, inquit Petrus Ledesma Alvarezii sectator, Tractatu de Auxiliis quest. unica art. 3. ex discipulis S. Thomae existimant, quod illud Auxilium (per se efficax) promovens causam secundam, est quaedam vis activa, complens virtutem operativam causae secundae, & constituens eam in ultima consummatione actus primi. . . Et articulo undecimo: Alii discipuli S. Thomae docent, quod auxilium efficax praedeterminans voluntatem, tenet se ex parte actus primi, tanquam constituens illum in ultima actualitate. . . Unde auxilium sufficiens non est completum, & consummatum, nisi per auxilium efficax, & praedeterminans. Itaque secundum istam sententiam, non datur auxilium sufficiens completum, & consummatum, antequam sit conjunctum auxilio efficaci, quod praedeterminat voluntatem.

Quidni ergo in eo recentium Thomistarum confictu, cum iis sentire, cum iis loqui mihi licuit, qui cum Majoribus nostris, & loquuntur, & sentiunt? Maxime cum & ii congruentius, & ad eludendos quoscunque Molinianorum cavillos, aptius loqui perhibeantur. Potentiam enim, cui ad agendum, aliud est necessarium auxilium, completam, expeditam, plenissimam, actuque proximam dicere, (quod Alvarezii discipuli faciunt) periculosa est alae: cum vel sic aliud negari videatur auxilium, quo potestas agendi ultimo compleatur, expeditur, actuque proximae conjungatur. Certe quod gratiam simplicis illustrationis, & excitationis sufficientem, pro scholae more nuncupemus; (quamquam & laus est huic vocabulo relictissimus sensus) quot Deus bone! Molinianorum cavilli, quot technae, quot argutiae, ut gratiam se ipsa efficacem, futilem, ac superfluum nobis ostendant? Haec si sufficit, inquit illi, non est igitur altera gratia necessaria. Quid futurum, si potentiam humane voluntati, hujusmodi gratia sufficienti collatam, plenam, expeditam, completam, ac etiam proximam vocaverimus? Annon illi tabias suas multo magis inflabunt, ut rejectam a vobis efficacis gratiae necessitatem altius inclament: nosque vano verborum furore, Theologos ludere, conquerantur; dum potentiae plenissimae, expeditae, completae, aliam ad agendum gratiam necessariam dicitamus?

Quintum demum, quod ad scrupulum eximendum reponere juvat, istud habe; Meram scilicet illam esse recentium quorundam Thomistarum Logomachiam, verborumque contentionem; quae statuto a nobis principio (de gratia se ipsa efficaci, novas facultates voluntati vires, novumque robur addente) nihil prorsus officiat. Quandoquidem illi ipsi recentiores Thomistae, qui potentiam agendi omnino plenam, completam, expeditam, actuque proximam, gratiis sufficientibus dari dicunt; novas nihilominus vires, novumque robur, per gratiam se ipsa efficacem afferri perinde fatentur: cum & vim medicam efficaci gratiae tribuant, & victricem in ea delectationem agnoscant: (quae duo novarum virium, novique roboris collationem important) celeberrimumque Augustini dictum de gratia praebente vires efficacissimas voluntati, de gratia se ipsa efficaci interpretentur.

Imo hanc ipsam, quam ego posui, auxiliorum efficacium differentiam, disertissime ponunt. Nul-

la alia excogitari potest differentia inter hujusmodi auxilia, nisi ea duntaxat, quod illud prius auxilium Angelorum, & hominis sani supponit vires; auxilium vero hominis lapsi illas conferat: id est, quod gratia, Angelis, & homini in statu innocentiae necessaria, supponit utriusque voluntatem, ex perfectissima ad Deum subjectione robustissimam, ita ut in homine partem inferiorem sub superiori subjunctam contineat; gratia vero efficax homini lapsa ad operandum necessaria non supponit vires, sed illas conferat, subijciendo perfecte voluntatem ejus Deo, & partem inferiorem ipsi superiori. Antonini Reginaldi verba sunt, parte 2. de mente Concilii Tridentini cap. 30. Quamquam Alvarezii systema defendat & ipse.

III. Quin etiam, ubi rem totam penitus obfero, ne veram quidem, sed apparentem duntaxat Logomachiam, eos inter Theologos esse putro, omnesque secum invicem per omnia consentire. Qui enim agendi potentiam omnino plenam, completam, expeditam, actuque proximam dicunt solis gratiis sufficientibus dari; de potentia simplici, nuda, ac solitaria loqui perhibentur: qui vero negant, idque efficaci gratiae tribuunt, potentiam re ipsa agentem & operantem intelligunt. Rursus, qui gratiam efficacem ad actum primum pertinere negant; atque ita, novum potestatis gradum afferre, negare videntur; ad eum actum negant unico pertinere: alias enim ad utrumque actum, primum videlicet, & secundum, communiter pertinere volunt; novumque potestatis gradum afferre, simulque operi applicare. Quod discrete significat laudatus Reginaldus, Alvarezii systema licet amplexus, in praedicto opere de Mente Concilii Tridentini circa gratiam per se efficacem, parte 2. cap. 1. Falsum est, inquit, quod gratia per se ipsam efficax, licet sit praeviens, se teneat ex parte actus primi, & potentie in ratione potentiae praese ut sic; quia non dat nudam posse, sed dat posse cum actu, dat possibilitatem cum effectu, ut loquitur Augustinus, reducit potentiam ad actum. Unde nec proprie se tenet ex parte actus primi, id est, potentie ut praevia est; nec ex parte actus secundi, praese ut est actus secundus, & operatio; sed est id quo potentia reducit de actu primo ad secundum. Atque ita illo eodem profuso modo, quo adversarii (Moliniani) dicunt, sine gratia cooperante hominem non posse; & nihilominus sine illa potentiam in variis potestatis esse completam; quamvis non sit completa eo modo, quo potentia completur per actum, praesertim immanentem: eodem, inquam, modo nos dicimus, sine gratia per se ipsam efficaci, hominem non posse; & nihilominus sine illa habere potentiam completam in ratione potentiae (nuda, ac solitaria); quamvis non eo complemento, quod reducit potentiam de actu primo ad secundum. Quibus paria habet Antoninus Massoulie, hoc idem versans argumentum, in erudito opere, cui titulus est, S. Thomae sui ipsius interpretis; cui, & ego Romae dum essem ante annos triginta calculum adieci, non approbator tantum, sed etiam admirator.

Quae cum ita sint omnia, nihil causae esse putro, cur inculcatam a me saepius, variarum gratiarum efficacium, pro variis humanae naturae statibus, differentiam, non perinde sint probaturi Thomistae illi recentiores, qui Alvarezii systema, seu verius singulares ejusdem, de potentia agendi completa, atque proxima, loquendi formulas, tenacius amulantur. Certa quae mihi spes est, eandem illos viam inituros, ut graves illas ex Augustini sententia peritas difficultates expendant: hocque Theologicæ facultatis aemula sacratissimum solvant.

I N D E X M A T E R I A R U M.

Adem non potuit se ipsum facere meliorem, quam Deus eum fecerit. 22
Idem non potuit sibi esse melior quam fuerit illi Deus. 25
Idem a se ipso nihil habuit, de quo posset in se ipso, non in Domino gloriarī. 25
Ejus perseverantia peculiari Dei adjutorio adscribenda. 29. & seq.
Ejus in bono firmitas ex solo Dei adjutorio repetenda. 40. & seq.
Illud datum fuerit auxilium quo perseveraret, non hic queritur; sed an illo egerit, ut re ipsa perseveraret. 40. 49
Adjutorium duplex ab Augustino distinctum, quo fit opus, & sine quo non fit. 40. 49
Ea duplicis adjutorii distinctio, tametsi optima, immerito tamen a nonnullis jactatur, uti totius Augustiniana doctrinae basis, & clavis. 51. & seq.
Vera duplicis hujus adjutorii intelligentia datur. 52. & seq.
Majus adjutorium bonis Angelis datum ut starent, non fuit certa de beatitudinis perennitate notitia. 27
Idem non fuit majus, intra ordinem adjutorii sufficientis, ac mere veritatis. 28
Idem non fuit duntaxat externum. 28
Alvarezii (Didacus.) Eius systema, de potestate completa & proxima per gratiam sufficientem homini data, quomodo cum nostro systemate conciliatur. 61
Ab Alvarezii systemate plerique Thomistae dissentiant, proximamque potentiam per gratiam sufficientem dari dissentiant. 62
Apparentes duntaxat eos inter dissentio est, ac pugna verborum. 62
Angeli in ordine praesertim supernaturali, nihil in via a se ipsis habuerunt, de quo possent in se ipsis, non in Domino gloriarī. 25. & seq.
Illos Deus, sola praesentia potestati futuri, non discrevit, sed per gratiam. 25
Quomodo praesertim Deus, ne illorum aliqui caderent. 27
In illorum movendis voluntatibus, suam Deus omnipotentiam ostendit. 29
Cur illorum aliqui praeter alios ad Deum conversi sint, inscrutabilis quaestio. 27
Qui iterum, amplius adjuvi fuere, quam qui ceciderunt. 28
Quale fuerit majus illud adjutorium, an patriae, an viae? 29
Bonorum Angelorum perseverantia efficaci Dei adjutorio adscribenda. 30
Non poterunt se ipsos facere meliores, quam Deus eos fecerit. 22
Non poterunt sibi ipsis esse meliores, quam illis fuerit Deus. 24
Horum aliqui in via minime tentati sunt: qui vero externae tentati, ex aequo tentati fuere: non alii plus, alii minus. 29
Annotatorum libellus anonymus, contra hanc nostram conciliationem Mediolani disseminatus, perstringitur. Praef. 10.
Idem distincte refellitur. 24. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 36. 39. 40.
Antilogia seu contradictiones principiorum & dogmatum, in adversariorum doctrina. 45. & seq.
Antitheses ab Augustino positae inter Adamum, & justos vires praesentis explicantur. 53. & seq.
Assensu Regis ab indignatione ad lenitatem conversio, efficacissime Dei omnipotentiae tributa ab Augustino. 43

Augustini cum Admetinis Monachis disputatio exponitur. 34. & seq.
Momenta ex ea Augustini disputatione delibata cumulatissime solvuntur. 51. & seq.
Illius caute in expediendis propositis sibi quaestionibus. 59. & seq.

Vide peculiares titulos rerum, de quibus egit Augustinus.

B

Beatitudo quo sensu adjutorium dici potest, quo sensu non potest. 29
Certitudo de beatitudinis perennitate, adjutorium ab Augustino dici non potest. 29
Qui sic intelligunt, Augustino sententiam absurdam assignant. 29
Bona quaecunque, quovis in statu, a Deo sunt, uti in premissa causa efficiente. 44
Bravardinus (Thomas) plenam agendi potentiam, sola gratia efficaci conferri, dilucet docet. 61.
Capreolus (Joannes) idem docet. 61.
Cajetanus idem habet. 61.

C

Casilius (Gaspard) Episcopus Leirionis Ord. S. Augustini, efficaciis gratiae necessitatem agnovit in statu innocentiae. 21
Cause secundae vel ex solo subordinatiōnis ad Deum titulo, moveri ab eo efficaciter, petunt. 43. & seq.
Christus gratia efficacissima motus, & actus a Spiritu S. 45
Illius praedestinatio ante praevia merita, ac plane gratuita. 46
Ejusdem gratuita praedestinatio exemplar nostrae. 46
Clemens VIII. R. P. motas de gratia quaestiones, ad Divi Augustini mentem, expendi jubet. 42.
Idem divinae gratiae efficacitatem, ex suprema Dei in hominum voluntates omnipotentia repetit. 42.
Columna (Egidius) Archiepiscopus Biterrensis, S. R. E. Cardinalis Ord. S. Augustini, efficaciis gratiae necessitatem agnovit in Adamo. 21
Concilium Araucanicum secundum in sententiam S. Augustini descendit. 32
Cavillationes in oppositum occupantur. 32
Congregatio de divinis Auxiliis, Thomistarum systema approbat, de gratia per se efficaci Adamo necessaria. 42
Cognatus (Leonardus) Ordinis S. Augustini efficaciis gratiae necessitatem agnovit in Adamo. 21. & 29.